DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS mané discutienda in Scholis Medicorum, die Veneris vigesimâ-nonâ mensis Maii, anno Domini M. DCC. LXXII.

M. PETRO POISSONNIER,

Regis in Sacro Consistorio Consiliario, Regis à Consiliis Medicis, in Regiis Arcibus Maritimis & Coloniis totius Medicinæ Præfecto, Regiarum Parisiensis, Brestensis, Divionensis, Petropolitanæ, & Stokolmiensis Academiarum Socio, Professore & Censore Regio, Doctore Medico, Præside.

An sit inutilis, quin imo nociva, cancri inveterati curatio quæcumque, sive instrumentis sive medicamentis?

I.



INTER Morbos quibus afficitur humana gens, alii naturâ solâ, alii naturâ & arte, alii solâ arte curantur; plurimi autem penitus incurabiles evadunt. In hâc ultimâ classe merito recensetur cancer inveteratus, Medicorum crux, Chirurgiæ opprobrium, & quod his pejus est, Agyrtarum præda.

Definitur tumor duritie penè lapideâ, dolore acutissimo, pungente, rodenteque stipatus.

Utrumque sexum affligit, attamen frequentius fœmineum, præsertim cum temperamento melancholico-bilioso, atque constitutione nervoso-irritabili donatur. Inter causas proegumenas non omittenda sunt vita cœlebs, animi pathemata vividiora, menstruorum irregularis fluxus, tempus hujusce cessationis, hæmorrhagiæ uterinæ, nec non vitæ genus extra moderationis limites divagans.

In partibus glandulosis sedem figit, mammas & uterum, modo sympathicè, modo idiopathicè, potius quam alias partes afficit, quandoque tamen nares, oculos, cutem; an aliquando in visceribus oriatur nondum plane constat.

Ratione methodi in hujus Morbi atrocissimi curatione adhibendæ, recte dividitur in plures species mali stadiis determinandas. Etenim in praxi medicâ quælibet divisio quæ non directe respicit curationem, inutilis semper, interdum noxia est.

Tumor durus cum dolore lancinante, pungente nec non per intervalla recurrente, vigentibus causis supra enarratis, primam cancri speciem constituit. Vocatur illa *cancer occultus incipiens.*

Tumor idem mole major, cum dolore acutiori, pene continuo, cute illæsâ quoad solutionem continuitatis, non vero quoad colorem, (livescit enim & venis nigris vel cæruleis hinc & inde sparsis maculatur), secundam speciem efformat, estque *cancer occultus confirmatus.*

Cum autem tegumenta vel lacerantur ob tensionem nimiam, vel eroduntur humore acri intus genito; carnes sub cute hærentes, tumentes, ruborem intensiorem induunt, modo saniem, modo sanguinem purum fundunt, remanente dolore, duritieque quasi corneâ lapideâque; tunc tertia cancri species locum habet, scilicet *cancer ulceratus incipiens.*

Quarta denique species ab omnibus aliis facile distinguitur, 1°. Ulceris labris duris, tumefactis, scabris, inversis. 2°. Vasorum nervoso-lymphaticorum induratione, unde radices extenduntur substantiam ligamentosam vel tendinosam mentientes. 3°. Odore acerrimi aceti cum summâ fœtiditate conjuncto. 4°. Hæmorrhagiis. 5°. Acutissimo atque acerbissimo dolore. 6°. Humoris corrosivi acescentis & putrescentis effluxu. 7°. Febre lentâ, marasmo, debilitate, animi deliquiis & tandem morte. *Hæc dicitur cancer ulceratus confirmatus.*

Massâ cancerosâ dissectâ, invenitur substantia cornea, cavitates hinc & inde efformans, fungis vel vegetationibus repletas; fungi illi primo aspectu caulis floriferæ speciem gerunt; inter fungos istos & substantiam corneam, conspiciuntur venæ varicosæ & omnia quæ ulcus comitari solent.

II.

OMnibus phenomenis supra enarratis, summâ cum attentione consideratis cancri æthiologia facile deducitur.

In loco quolibet glanduloso, si in nervorum extremitate leges actionis & vegetationis mutantur, ita ut ibi contingat quod in extremitate digitorum evenit, mutatio scilicet substantiæ nervosæ, in aliam duram atque corneam; tunc formatio illius substantiæ & augmentum in partibus mollibus, illas comprimit eo magis quo majori mole donatur; hinc distractio nervorum, varices, inflammatio, lividitas, rubor, vasorum ruptura; ex distractione nervorum dolor; ex vasorum rupturâ, effusio humoris, sanguinei ex vasis sanguineis, lymphatico-glandulosi, ex vasis lymphatico-glandulosis. Effusis illis humoribus calore & humiditate loci, acescit humor glanduloso-lymphaticus, putrescit vero sanguineus, unde odor mixtus supra memoratus exhalat; ex compressione, inflammatione, humorum indole corrosivâ, dolor deurens, pungens, acris, fodiens, pulsans persentitur: ex perpetua irregularique vegetatione, fungi, radices hinc & inde nervorum tractum sequentes sparguntur; ipsique nervi, legibus naturæ hucusque ob-

ſecundantes, jam ob irritationem & actionem humoris canceroſi, mutantur tum in ſtructurâ, tum in organiſatione; hinc contagium & malum propagatur atque ſerpit: denique ex humoris aceſcentis & putreſcentis reſorbtione, & doloribus intolerabilibus febris lenta, maraſmus, debilitas, animi deliquia & mors.

III.

CAncri prima & ſecunda ſpecies medicamentis vel internis, vel externis inſanabiles, ſæpiſſime ferro ſanantur; tertiæ ſpeciei incertiſſima eſt curatio nec non rariſſima; quarta, demum nec medicamentis nec ferro curari poteſt. Aſſertiones illæ, quidquid obgannant Agyrtæ & eorum fautores, ratione, experientia & obſervatione confirmantur. Axioma igitur tanquam certiſſimum ad curabilitatem cancri determinandam efformari poteſt. Cancer recens modo natus, adhuc mobilis, anguſto limite circumſcriptus, locoque imprimis opportuno, ſenſibuſque expoſito, intactis autem ſimul ante omnia, à contagioſâ ipſius labe, mutuaque tabe, reliquis ſane adhuc corporis partibus, feliciter plerumque, ſecure atque perfecte ferro exſcindi poteſt.

IV.

MOrbi ipſius æthiologia, eventus, experimenta per mortes facta, obſervationes, terras quaſlibet, ſublimatum corroſivum, remedia arſenicalia, ſaturninaque, cicutam ipſam, de quibus nimirum ſparſis in vulgus credulum libellis variis encomiaſticis, non ſolitæ & credibiles medendi virtutes; ſed incredibilia prorſus & inaudita miracula, ac pluſquam portenta theſſala, plenis veluti buccis effunduntur; ad chimæras, remedia inania, noxia, ineptaque relegant.

Cancrum inveteratum nullam omnino curationem admittere probant, ratio, obſervatio & auctoritas. Morbi naturâ bene perſpectâ, partes ſtructurâ & organiſatione congruâ deſtitutas, nullo modo ſanari poſſe humanis auxiliis facile evincitur. Multiplices radices in longuum & latum porrectas omnes evellere, nunquid ferrum valet? unâ tamen ſuperſtite, brevi atque ferocius repullullat; humor præterea canceroſus abſorbtus fit novi cancri ſeminium. Medici potentia obſtaculorum remotione, partis vel totius deſtructione circumſcribitur; non autem ad novam extenditur creationem. Noſtram Theſim innumeræ obſervationes inconcuſſam reddunt, quas enumerare longiùs foret. Scepticos ad Foreſtum, Ballonium, Hildanum, Lommium, Blancardum, Timeum à Guldenklée, Hoffmanum, Bonetum, Bartholinum, Morgagnium, Acta Berolinenſia, &c. &c. &c. mittimus, viros bonos facile vincet auctoritas Hippocratis, Galeni, Aratei, Vanſwietenii, &c.

V.

SOla igitur curatio palliativa, in tertiâ & quartâ Cancri ſpecie convenit: hanc conſtituunt vitæ genus pacatum, tranquillum, alimenta lenientia, demulcentia, facillimæ digeſtionis atque concoctionis, moderatum exercitium, diæta lactea, quotidianus uſus corticis peruviani,

fomenta quædam abſorbentia ſaturninaque. Summe vitandum eſt quidquid ſanguinis motum augere atque humores acres reddere valet ; idcirco minime convenit uſus opii ut autumant multi, & ex dictis facile patet.

Vehementer exoptandum ut miſeræ quæ diriſſimo laborant hoc malo, deſiſtant medelas quærere apud inconditiſſimam Medentis nomen affectantem gentem, ſive ſint de grege carnificum, ſive de pullorum in tonſtrinis excluſorum, ſive anicularum. Faxit Deus ! ut quas cancer occultus excruciat, cito illum ſolerti Chirurgo extirpandum præbeant, ne mox apertus & ulceratus ullam admittat curationem, exceptâ tamen quæ ab Agyrtis offertur, non ut malum ſanetur, ſed ut emungatur crumena.

Ergo inutilis eſt, quin imo nociva, cancri inveterati curatio quæcumque, ſive inſtrumentis, ſive medicamentis.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Petrus-Joſephus MORISOT DESLANDES.	*M. Theophilus DE BORDEU, Eques, Noſocomii Regii & Militaris Baregienſis Medicus deſignatus.*	*M. Ambroſius HOSTY.*
M. Henricus-Michael MISSA, Cenſor Regius, Militarium Noſocomiorum ad Regis Exercitum Medicus.	*M. Petrus-Abrahamus PAJON DE MONCETS, Eques, Societatis Litterariæ Catalaunenſis Socius.*	*M. Joannes MAC-MAHON, Antiquus Exercituum & Noſocomiorum Regis Medicus, Regiæ Scholæ Militaris Medicus Ordinarius.*
M. Joannes-Nicolaus MILLIN DE LA COURVAULT, Anatomes, & Artis Obſtetriciæ in gratiam Matronarum Profeſſor.	*M. Claudius-Thomas-Guillelmus GUILBERT DE PREVAL, Rei Herbariæ Profeſſor deſignatus, Chriſtiani VII Daniæ & Norvegiæ Regis Conſiliarius, necnon Rerum Medicarum à Relatione.*	*M. Franciſcus THIERY, Regis è Salubri Conſilio, Regii Medicorum Collegii Nancei Socius Honorarius, Regiæque ejuſdem civitatis Scientiarum & Humaniorum Litterarum Academiæ, necnon Bitterenſis.*

Proponebat Pariſiis CLAUDIUS-ANTONIUS CAILLE, Doctor Medicus Biſuntinenſis, Societatis Medicæ Edimburgenſis Socius, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus Emeritus, Theſeos Aucthor, A. R. S. H. 1772. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis *Quillau*, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi 1772.